

Pictaviensi Episcopo, qui duobus post Ausonium seculis vixit, vocatur: Veterum non esse, tum ex eo colligas, quod non tantum teste Juvenale et veteri ejus interprete, sed etiam Antiphane et Theodoro Sionopensi apud Athenaeum, vilis apud eos pisces fuerit; tum quod eum in Garumna non invenias, quod et Scaliger monuit. *Γαλαξίας* seu *γαλεξίας* vocari Galeno crederem, nisi eandem in Graeciae mari, in quo Sturiones dantur, nasci negaret. Acipenserem esse, qui ab Elope et Anthia distinguitur, Rondeletius erudit ostendere conatur, quem sequitur Junius: obstante ejus sententiae videtur, quod rarus inventu, et unus omnium squammis ad os versis contra aquam nando meare, apud Plinius dicatur, et id Nigidius Figulus, referente apud Macrobius Sammonico Sereno, confirmet. Aldrovandus Sturionem Acipenserem Romanis cum recens et in Italia captus esset, vocatum fuisse; Silurum Graeco nomine cum ex peregrinis Graeciae in primis oris allatus, opinatur. Descriptionem ejus Paulus Jovius hanc dedit. *Corpore* est tereti oblongo-que, inter rotundos et planos ambigente, ut qui subtus quodammodo planus sit, dorso vero semirotundo. *Caput* quadratum est, et ad effigiem parvae pyramidis protensum. *Os* illi est sine maxillis, sine dentibus, diversum penitus ab reliquorum piscium forma, idque sub mento in ipsa prope juguli parte, ad similitudinem fistulae arundinaceae rotundum, semperque patens, et cartilagineum et summe candidum; cuius hiatum in procerioribus hasta brachii haud facile impleret: caeterum totum caput dura potius et callosa cartilagine quam certis ossibus constat, quod ex lento quodam et praepingui mucore concretum esse videtur. *Naribus* omnino, quae illi praetenues sunt supra rostrum, refrigeratur. Sunt autem branchiae utrimque quaternae osleo operimento, non secus quam squamosis piscibus contactae. *Oculos* habet parvos. Ex rostro gemina barba, ut in Mullo dependet. Toto

dorso crassiores quaedam squammas ossea duritie certo numero ordinatae, intercurrente spinae acie, ad elegantiam eminent, ut in magnificentioribus valvis hodie videmus, quas ferrei atque inaurati clavi certa serie confixi decentissime figurant. Caeterae corporis partes cuticulari et scabro admodum operimento potius quam perpetuis squammis integuntur, idque ad subviridis atrique coloris speciem. *Venter* cute levi et argentea tegitur. *Linguam* habet crassam et duram, *gulam* undequaque rugosam. *Pinnae* sunt ad branchias duas et totidem in ventre ad podicem: praeter quas in dorso prope caudam alia unica erigitur, e cujus fere regione imo ventri alia etiam una subnectitur. *Cauda* vero in duas pinnas degenerat, quarum superior crassior atque duplo longior extat. *Ventriculus* est carnosus solidusque atque pertinaciter inhaerescens tergori, ut nisi discisus divelli inde possit. *Oesophagus* in rugas contractus. *Hepar*, in duos lobos oblongos pallidi coloris dividitur, quorum dextro vesica fellis validissime connectitur. *Lien* subrubens: *intestina* crassa, et ternis gyris convoluta. Magnis piscibus annumerari debet, cum crebro et plerisque in locis centum librarum, et alibi longe major capiatur. Ego aliquando Ferrariae Sturionem mercatus sum centum et quadraginta librarum, donavique Illustrissimo pariter ac Reverendissimo Ioan. Baptista Campaglio, Episcopo Majoricensi, Domino meo nunquam satis celebrando, qui paucis ante diebus, ut labores meos promoveret, mille aureos donaverat. *Quantum ad *Differentias* *Habenus refert Bellonius, Ponticorum, A. Jovius. driaticorum, Gallicorum, et Germanicorum inter se esse differentiam, quae magnitudine, crassitie, cutisque asperitate, et subnigro, subflavo, aut argenteo colore distingui possit: Sequanicum et Ligerinum adultum interdum tres orgyas excedere, Galeum pisces pinnis et forma referentem, exili corpore, hirta fursum pelle, deorsum plana ac levi: apud Ferrarienses, et Bononienses argenteo colore

Juvenal.
Scalig. 14.
et 15.

Scalig. in
Le^t.
Auson. l. 2.
c. 1.
Galen. de
Alim. facult.
l. 3.

Plin. H. N.
l. 9. c. 17.
Macrob.
Satur. l. 2.
6. 12.